qui subverterat montes maria con
stravit. Cum de sublimi loco infini
tam hominum multitudinem et innu
merabilem vidisset exercitum flesse
dicitur quod post centum annos nul
lus eorum quos tunc cernebat sup
futurus esset. O si possemus
in talem ascendere speculam de
qua universam terram sub nostris pedi
bus cerneremus iam tibi ostende
rem totius mundi ruinas gentes
gentibus et regnis regna conlisa
alios torqueri alios necari alios
obsorberi fluctibus alios ad servitu
tem trahi hic nuptias ibi planctum
illos nasci istos mori alios af
fluere divitiis alios mendicare
et non Xerses tantum exercitum sed to
tius mundi homines qui nunc vivunt
in brevi spatio defuturos. Vincitur
sermo rei magnitudine et minus est
omne quod dicimus. Redeamus igitur
ad nos et quasi e caelo discenden
tes paulisper nostra videamus.
Sentisne obsecro te quando infans
quando puer quando iuvenis
quando robustae aetatis quando
senex factus sis. Cottidie mori
mur cottidie commutamur et
tamen aeternos esse nos credimus.
Hoc ipsum quod dicto quod scribitur
quod relego quod emendo de vita
mea trahitur. Quot puncta
notarii tot meorum damna tempo
rum. Scribimus atque rescribimus
transeunt maria epistulae et fin
dente sulco carina per singulos fluc
tus aetatis nostrae momenta minuuntur.
Solum habemus lucri quod Christi nobis
amore sociamur. Caritas patiens
est benigna est. Caritas non zelatur
non agit perperam non inflatur. Omnia
(omnia credit)
sperat omnia suffert omnia patitur
caritas numquam excidit. Haec
semper vivit in pectore. Ob hanc
Nepotianus noster absens praesens est
et per tanta terrarum spatia divisus utra
que complectitur manu. Habemus mutuae
obsidem caritatis. Iungamur spiritu
stringamur affectu et fortitudinem
mentis quam beatus papa Chroma
tius ostendit in dormitione ger
manae nos imitemur in filio. Illum
nostra pagella decantet. Illum cunc
tae litterae sonent. Quem corpo
re non valemus recordatione teneamus
et cum quo loqui non possumus de eo
loqui numquam desinamus.
EXPL

XIII INCIP EPIST SCI AGUSTINI EPI
AD SCM HIERONIMUM PRBM

DOMINO KMO ET DESI
derantissimo et honoran
do fratri et conpresbytero Hiero
nimo Agustinus in Domino salutem
Audivi pervenisse in manus tuas